

cumventæ Venetæ naves, ita crebris machinarum iðibus
 (quas dux peritissimus in extrema fluminis ripa locarat)
 sunt ad unam concussæ, ut desperatione actus Quirinus,
 translatis silentio noctis in proximum oppidum armamen-
 tis, illas, ne in hostium potestatem venirent, incendio ab-
 sumperit; quanquam sic quoque ferunt nonnullas ab ho-
 ste interceptas. Sed ubi ille Venetias venit, a Patribus
 ad populi Advocatores est rejectus, qui in suspicionem
 venisset, non tam non potuisse, quam noluisse classem
 ipsam servare. Eum Advocatores in vinculis habendum
 censuere. Fuerunt ea tempestate qui crederent, Quirinum
 ab initio in tutum cum ipsa classe abire potuisse, fuisse
 que id facturum, nisi ab Attendulo spes illi facta esset,
 fore ut statim, conserto prælio, ipse subsidio cum omnibus
 copiis adesset. Quod quum nullo modo præstitisset, pro-
 ditus Venetus cladem aliena culpa adierit. Profectus in-
 de hostis (neque enim erat, cur Cremonæ timeret am-
 plius) ad Caravagium Veneto præsidio munitum castra
 locat.

Attendulus, qui Sforciam in Venetam classem euntem,
 usque fere ad locum ubi res gesta est, secutus fuerat, ubi
 illum post cladem illatam in Abduanam terram reversum
 accepit, Caravagiumque obsidione cinxisse: ipse quoque
 eo copias admovit, insignem locum Veneta clade factu-
 rus. Vix unquam alias tantus equitatus, tot viri illustres
 Gallicis bellis unum in locum coiere. Nam præter At-
 tendulum copiarum omnium Imperatorem, erant in Ve-
 netis castris Lodovicus Gonzaga, Bartholomæus Collio
 qui non multo ante ad Venetos transferat, Gentilis Leo-
 nesius, Carolus Montonius, Tybertus Brandolinus, Joannes
 Comes, Romani sanguinis, Guido Ranconius, Al-
 bertus Bodiensis, Cæsar Martinengius, Nicolaus Guerre-
 riarius, & cum his ad duodecim equitum millia, ac vis pe-
 ditum ingens. Apud Sforciam Alexander Bosius & Cor-
 radus fratres, Robertus Severinas, Franciscus & Jacobus
 Picinini, Guilielmus Monferratensis, Carolus Gonzaga,
 Alovius Vermius, Joannes Tollentinas, Christophorus

Veneti a
 Sforciapra-
 gio dicti.

To-